Q. D. B. V.

DISQVISITIO INAVGVRALIS

DE

SEPARATIONE COHABITATIONIS,

Von

Eheſcheidung zu Tiſch und Bett,

A

DN. BURCKHARDO BARDILI,

J. U. D. ET ACAD. TUBING. PROF.

INSTITVTA.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS IOAN. CHRIST.. GRUNERTI. ACAD. TYPOGR.

(4)

58700(4)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

[173-?]

PRÆFATIO.

SOcietatem conjugalem multa & varia ſæpenumero turbare mala, palam eſt, hanc tamen propterea non ſtatim diſſolvendam eſſe, ſatis docent cauſæ, ob quas ſeparatio cohabitationis tantum, ſi aliud remedium prius tentatum nil quicquam poſſit, conceditur. Exortis enim capitalibus inimicitiis, ſtructis vitæ inſidiis, ſupervenienti furore ac ſævitia intolerabili, aliisque incidentibus cauſis magiſtratus competens majori periculo avertendo, his ipſis conjugibus interdum nullo alio, quam hoc ſeparationis quoad thorum & menſam remedio ſuccurrit; de quo pro temporis & inſtituti ratione loco diſputationis inauguralis ſequentes theſes concinnare, illasque eruditorum judicio & examini ſubmittere animum duximus. Quod dum facimus, ſummæ triadis auxiliares manus, pro felici ſucceſſu, devote imploramus.

THESIS I.

DE ETYMOLOGIA vocabuli ſeparationis multum præfari, nihil attinet. Hoc ſane expeditum eſt, in jure & apud auctores diverſimode accipi. Unde ratione objecti diverſæ ſunt ſeparationes: Veluti ſeparatio creditorum, *tot. tit. ff. de ſeparationib.* ſive bonorum ſeparatio in rubr. *Cod. de bon auctorit. jud. poſſid. & in l. 2. C d. t.* Separatio fructuum *l. 13. in fin. ff. quib. mod. uſufr. amitt. l. 25. §. 1. ff. de uſur.* Separatio metalli. *l. 5 §. ff de R. V.* Separatio liberorum ab oeconomia paterna. Dn. Carpzov. *jur. for. part. 2, conſt. 10. def. 1.* Weſenb. *in ff. tit. de adopt. num. 7.* quæ etiam emancipationis ſpecies dicitur. A qua differt illa ſeparatio ſtatuto Lubecenſi recepta, quando parentes liberos elocantes, certam bonorum partem his patrimonii loco aſſignant, atque ea ratione a ſe ſuisque bonis ſeparant, ita ut liberi ſic ſeparari dicantur, die abgeſonderte Kinder. vid. Mev. *ad jus Lubec. part. 1. tit. 5. art. 1.* Speidel. *Spec. var. obſerv. voc.* abgeſonderte Kinder ꝛc. Deinceps eſt ſeparatio conjugum, *c 2. & 3. X. de divort* quæ vel totalis eſt vel partialis Richt. *in conſil. vol. 2. conſil. 337. num. 1.* de qua nobis agendum.

II.

Circa hanc conjugum ſeparationem in limine ſtatim notandum; nobis hic non eſſe ſermonem de abſtinentia conjugum voluntaria, quando v. g. in caſu fornicationis pars innocens ab alterius nocentis conſuetudine abſtinet, ne culpam condonaſſe videatur, de qua vid. Gerhard. *tom. 7. §. 637.* Carpzov. *jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. defin. 211. n. 3.* vel ſanæ mentis conjux, a conjunctione corporum cum furioſo conjuge, quod ei ſuadendum omnino, ne, (uti loquitur Imper. LEO *in Nov. 112.*) *hic ipſe fœtus humano generi commune detrimentum adferat*, abſtinet. Vel malitioſi conjuges mutua diſſenſione ſeſe ab invicem quoad thorum & menſam ſeparant. vid. Carpzov. *jur. for. pag. 3. conſt. 26. def. 16.* vel

16. vel ſi voverit uterque continentiam. Aut propter anguſtiam rei familiaris maritus uni, uxor alii, miniſterium exhibet, victus & amictus quærendi gratia. Andr. Kohl. *tract. de Succeſſ. conjug. part. 1. num. 41. pag. 95.* Nec de ſeparatione bonorum inter conjuges facta, de qua vid. Rodenburg. *de jur. conjug. th. 4.* quin potius illa ſeparatio, quæ fit publica magiſtratus auctoritate, quoad thorum & menſam, erit conſiderationis noſtræ objectum.

III.

Poteſt vero ipſe magiſtratus etiam marito vel uxori nonnunquam ſeparatam habitationem permittere, imo ſi opus ſit injungere, ut tamen conjuges quoad thorum & menſam ſeparari non dicantur: v. c. quando maritus ſævitiæ accuſatur, melius ſane erit, licet proceſſus ſeparationis nondum finitus fuerit, nec ſuper ſeparatione quoad thorum & menſam pronunciatum, ſi ſeparatim interim degat maritus: ne uxor trepidans ejusque ſævitiam metuens, proprio auſu diſcedat, timore quaſi coacta, non expectato litis eventu. Cum itaque hoc litigium protrahi in multum tempus poſſit, poteſt magiſtratus, ut proſpectum ſit uxori contra maritum ſævientem, marito injungere, ut interim ſeparatim habitet, vid. Carpzov. *jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 222.* ubi in ſupremo conſiſtorio ita ſæpius pronunciatum refert, hisce verbis: Dieweil Beklagter der beſchuldigten Sævitien nicht beſtändig ſeyn wollen; ſo ſoll derentwegen Erkundigung eingenommen werden, unterdeſſen aber Beklagter ſeinen Unterhalt und Lager nicht bey ſeinem Weib, ſondern an einem andern Ort ſuchen, und ihr biß in der Sachen Ausgang ferner nicht beſchwerlich ſeyn, ꝛc. Verum hæc ſeparatio erit conſiderationis noſtræ objectum principale: uti ſequentes theſes latius monſtrabunt.

IV.

Vocatur hæc noſtra ſeparatio etiam quoad thorum, & cohabitationem. Petr. Barboſ. *tit. ſolut. matr.* Rubr. *pag. 2. num.*

THESIS I.

DE ETYMOLOGIA vocabuli ſeparationis multum præfari, nihil attinet. Hoc ſane expeditum eſt, in jure & apud auctores diverſimode accipi. Unde ratione objecti diverſæ ſunt ſeparationes: Veluti ſeparatio creditorum, *tot. tit. ff. de ſeparationib.* ſive bonorum ſeparatio in rubr. *Cod. de bon auctorit. jud. poſſid. & in l. 2. C d. t.* Separatio fructuum *l. 13. in fin. ff. quib. mod. uſufr. amitt. l. 25. §. 1. ff. de uſur.* Separatio metalli. *l. 5. §. ff de R. V.* Separatio liberorum ab oeconomia paterna. Dn. Carpzov. *jur. for. part. 2, conſt. 10. def. 1.* Weſenb. *in ff. tit. de adopt. num. 7.* quæ etiam emancipationis ſpecies dicitur. A qua differt illa ſeparatio ſtatuto Lubecenſi recepta, quando parentes liberos elocantes, certam bonorum partem his patrimonii loco aſſignant, atque ea ratione a ſe ſuisque bonis ſeparant, ita ut liberi ſic ſeparari dicantur, die abgeſonderte Kinder. vid. Mev. *ad jus Lubec. part. 1. tit. 5. art. 1.* Speidel. *Spec. var. obſerv. voc.* abgeſonderte Kinder ꝛc. Deinceps eſt ſeparatio conjugum, *c 2. & 3. X. de divort* quæ vel totalis eſt vel partialis Richt. *in conſil. vol. 2. conſil. 337. num. 1.* de qua nobis agendum.

II.

Circa hanc conjugum ſeparationem in limine ſtatim notandum; nobis hic non eſſe ſermonem de abſtinentia conjugum voluntaria, quando v. g. in caſu fornicationis pars innocens ab alterius nocentis conſuetudine abſtinet, ne culpam condonaſſe videatur, de qua vid. Gerhard. *tom. 7. §. 637.* Carpzov. *jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. defin. 211. n. 3.* vel ſanæ mentis conjux, a conjunctione corporum cum furioſo conjuge, quod ei ſuadendum omnino, ne, (uti loquitur Imper. LEO *in Nov. 112.*) *hic ipſe fœtus humano generi commune detrimentum adferat*, abſtinet. Vel malitioſi conjuges mutua diſſenſione ſeſe ab invicem quoad thorum & menſam ſeparant. vid. Carpzov. *jur. for. pag. 3. conſt. 26. def. 16.* vel

16. vel ſi voverit uterque continentiam. Aut propter anguſtiam rei familiaris maritus uni, uxor alii, miniſterium exhibet, victus & amictus quærendi gratia. Andr. Kohl. *tract. de Succeſſ. conjug. part. 1. num. 41. pag. 95.* Nec de ſeparatione bonorum inter conjuges facta, de qua vid. Rodenburg. *de jur. conjug. th. 4.* quin potius illa ſeparatio, quæ fit publica magiſtratus auctoritate, quoad thorum & menſam, erit conſiderationis noſtræ objectum.

III.

Poteſt vero ipſe magiſtratus etiam marito vel uxori nonnunquam ſeparatam habitationem permittere, imo ſi opus ſit injungere, ut tamen conjuges quoad thorum & menſam ſeparari non dicantur: v. c. quando maritus ſævitiæ accuſatur, melius ſane erit, licet proceſſus ſeparationis nondum finitus fuerit, nec ſuper ſeparatione quoad thorum & menſam pronunciatum, ſi ſeparatim interim degat maritus: ne uxor trepidans ejusque ſævitiam metuens, proprio auſu diſcedat, timore quaſi coacta, non expectato litis eventu. Cum itaque hoc litigium protrahi in multum tempus poſſit, poteſt magiſtratus, ut proſpectum ſit uxori contra maritum ſævientem, marito injungere, ut interim ſeparatim habitet, vid. Carpzov. *jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 222.* ubi in ſupremo conſiſtorio ita ſæpius pronunciatum refert, hiſce verbis: Dieweil Beklagter der beſchuldigten Sævitien nicht beſtändig ſeyn wollen; ſo ſoll derentwegen Erkundigung eingenommen werden, unterdeſſen aber Beklagter ſeinen Unterhalt und Lager nicht bey ſeinem Weib, ſondern an einem andern Ort ſuchen, und ihr biß in der Sachen Ausgang ferner nicht beſchwerlich ſeyn, ꝛc. Verum hæc ſeparatio erit conſiderationis noſtræ objectum principale: uti ſequentes theſes latius monſtrabunt.

IV.

Vocatur hæc noſtra ſeparatio etiam quoad thorum, & cohabitationem. Petr. Barboſ. *tit. ſolut. matr.* Rubr. *pag. 2.*

num. 14. item ſeparatio domeſtica. Dedek *tit. de cauſ. matrim. 3. num. 1. pag. 463. verſ. cum maritus.* Cöppi. *l. 1. O. 45. num. 1.* ut & ſeparatio quoad thorum & menſam. Richter. *d. conſil. 335.* Carpzov. *part. 3. deciſ. 391.* die Eheſcheidung zu Tiſch und Bette. Speidel. *Specul. variar. obſervat. voce* Eheſcheidung. Carpzov. *in conſ. lib. 2. tit. 12. def. 5.* Vocatur etiam a quibusdam divortium, ſed male, late Carpz. *d. l.*

V.

Eſt itaque SEPARATIO noſtra, Actus, quo Judex, ex juſta & ſufficienti cauſa, finito proceſſu ſeperationis, conjugibus obligationem mutui convictus & copulæ remittit. Generis loco dicitur *Actus*, quod vocabulum generale eſt, *l. 19 ff de V. S.* Reliqua verba differentiam continent ſpecificam, qua a divortio totali, nec non ab ea ſequeſtratione, qua nonnunquam ſponſa ad tempus diſcedit, de qua in *c. 14 X. de ſponſal.* aliisque ſeparationibus, diſcernitur.

VI.

DIVISIONEM, reperio nullam; niſi quod ea ratione, quod nempe ſeparationi cauſam præbeat vel maritus, vel uxor, vel ſimul uterque, dividi poſſit in ſeparationem unius, vel utriusque culpa contingentem.

VII.

CAUSA EFFICIENS eſt vel remota, vel PROXIMA. REMOTA eſt Jus, quód conjuges, qui ad cohabitandum ex obligatione matrimoniali alioquin ſunt obligati, ſeparatim ac ſeorſim habitare permittit. Quamvis enim per matrimonium inducatur perpetua vitæ conſuetudo & cohabitatio inter maritum & uxorem. *arg. §. 1. I. de patr. poteſt.* adeoque conjuges regulariter ſeparandi non ſint, non tantum ob plurima, quæ inde ſequuntur incommoda, vid. Carpzov. *lib. 2 tit. 12. d. 207. num. 7.* ut nihil dicamus de ſcandalo, quod hinc datur eccleſiæ, contemtu ordinationis divinæ,

ſciſſu-

ſciſſura ſocietatis conjugalis ſanctiſſimæ: Sunt tamen cauſæ, ob quas & magiſtratus poteſtatem permittit, conjuges ſeparatim habitare.

VIII.

Ad jus civile quod attinet, olim bona gratia fiebat inter conjuges amicabilis quædam ſeparatio. *l. 6. ff. de divort. l. 32. §. 10. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Etiam ſine ulla cauſa Brunnem. *ad l. 9. & auth. quod hodie C. de repud.* Et vel ſolo utriusque conſenſu, vel etiam alterius tantum voluntate, civibus tamen Romanis ſeptem adhibitis divortium concedebatur, hac verborum formula adhibita: *Tuas res tibi habeto, vel tuas res tibi agito. l. 1. §. 2. ff. de repud.* vid. Henr. Caniſ. *ad tit. X. de divort. num. 2.* donec Theodoſ. & Valentianus Impp. ad certas cauſas divortium conſtrinxerint. *l. 8. C. de repud.* Sed Juſtin. Imp. deinceps divortia ex mutuo conſenſu facta penitus abrogavit. *Quia,* inquit, *ex conſenſu aliqui usque ad præſens alterna matrimonia ſolvebant, hoc de cætero fieri nullo ſinimus modo, niſi forte quidam caſtitatis concupiſcentia hoc fecerint. Nov. 117. cap. 10.* Carpz. *Jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 207. n. 9.* Brunnem. *d. auth.* niſi utraque pars ingrediatur religionem, id eſt, monaſterium, (unde hujus exceptionis ratio in favore religionis conſiſtit; Nam ſecundum præſuppoſita Pontificiorum vita monaſtica præferebatur vitæ conjugali. Brunn. *d. Auth.* Rittershuſ. *ad Nov. part. 4. c 7. num. 9.* quid autem de bonis tunc ſit ſtatuendum, explicat porro *Imp. in d. N. 117. c. 10.* Add. Rittersh. Brunnem. *d. l.*) Quicquid ſit, ex hac cauſſa ſeparatio conceditur, in terris Auguſtanæ confeſſioni addictis, conjugibus nulla. Nam caſtitas & continentia etiam in matrimonio ſervari; & nihilominus DEO ſerviri poteſt, ut neceſſe non ſit, relicta ſtatione vitæ, ad quam quis a DEO vocatus ſit, in monaſterium ſe abdere. Rittershuſ. *ad Nov. part. 4. c. 7. n. 9. in fin.* Dn. Struv. *de Jur. ſacr. Juſtin. ad l. 53. §. 3. C. de Epiſc. & Cler.* In papatu etiamnum hodie quid obtineat, tradit Bellarm. *tom. 2. contr. 2. cap. 38.*

IX.

IX.

Jus vero canonicum facilius ſeparationem ad thorum & menſam conceſſit; usque adeo, ut hoc jure vinculi matrimonialis diſſolutio, ne quidem ex cauſa adulterii, aut malitioſæ deſertionis fiat, *arg. c. 9. X. de ſponſal* vid. tamen late Henr. Caniſ. *ad tit. de divort. num. 3.* ſed hæc ſeparatio ad thorum & menſam *c. 1. 32. q. 7.* Ex quo eſt, quod ſeparationem hanc a pontificiis adinventam tradat Carpzov. *Jurisprud. conſiſt. lib. 2. tit. 10. def. 210. num. 3.* Hi enim cum divortium nullum totale admitterent, in ejus locum ſubſtituerunt ſeparationem cohabitationis; tam ſacris litteris, quam LL. Romanorum incognitam. Quod enim aliqui ſcribunt JCtos ſub nomine divortii complecti dimiſſionem quoad thorum & menſam, & hujus fieri etiam mentionem, *in tit. ff. & C. de divort.* illud alii falſum dicunt, & in ſcholis JCtorum inauditum; uti recte notavit etiam Henning. Arniſ. *de Jur. connub. cap. 6. ſect. 6. n. 8.* Carpz. *Jurispr. conſiſt. d. l. n. 4.* Neque enim ſeparatio quoad thorum & menſam verum eſt divortium; uti multis examinavit Carpz. *d. l.* In jure autem canonico hæc ſeparatio fundamentum habet maximum *c. 1. c. 2. X. de divort. c. interveniente 32. q. 7.* utut ſeparationis quoad thorum & menſam *in tot. tit. X. de divort.* mentio fiat nulla. Jus canonicum ſequuntur conſiſtoria hodie diverſarum provinciarum quamplurima, tam Auguſtanorum quam Reformatorum. de Auguſt. vid Carpzov. *Jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 117. & mult. ſeqq.* Richter *v. 2. conſ. 465.* & Dd. paſſim. Idque ad majora mala, homicidium, veneficium, aliaque incommoda quam plurima, quæ inde metuuntur, præcavenda. Carpz. *Jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 211. n. ult.*

X.

CAUSA PROXIMA ſeparationis eſt magiſtratus, qui conjugi ſeparatim habitare concedit. Ipſi conjuges ſeſe ſeparare nequeunt etiam quoad thorum & menſam, Carpz.

Jurispr.

Jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 211. Nec enim quisquam in propria cauſa judex eſſe poteſt. Sed invicem cohabitare tenentur, juxta Apoſtoli Pauli præceptum *1 ad Corinth. 6. verſ. 10. Iis, qui matrimonio juncti ſunt*, inquit, *præcipio non ego, ſed Dominus, uxor a viro non diſcedat, vir uxorem non dimittat.* Unde ſi conjuges præcepto divino ſe ſubducere velint, perſuaſionibus & ſeveris adhortationibus ad hoc ſunt adigendi. *c. intelligimus 6. in fin. de adult. & ſtupr.* Nec privatorum arbitrio concedendum, quod jure pariter divino & humano prohibitum eſt. Carpz. *Jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 207.* Usque adeo, ut ſi in contumacia perſeverent, coërcitioni magiſtratus politici ſubjiciantur, certaque mulcta vel pœna ad hoc compellantur, quam pœnam ad relegationem etiam nonnunquam pro ratione circumſtantiarum extendi poſſe, tradit Carpz. *Jurispr. Conſiſt. d. tit. 12. def. 208. ubi præjudicia.*

XI.

Sed competens magiſtratus tantum hanc licentiam ſeparandi habet. Quis autem ſit competens, in eo non omnium eſt ſententia? *vid. diſp. de divort. ex cauſa deſertionis th. 8. & ſeqq.* Juxta principia pontificiorum, qui cauſas matrimoniales pro ſpiritualibus agnoſcunt, de his cauſis judicat magiſtratus ſolum eccleſiaſticus. Henr. Caniſ. *ad tit X. de divort. num. ult.* etiam ubi agitur de cohabitatione matrimoniali ſolum. Unde Concilium Tridentinum Seſſ. *tit. 4. can. ult. de ſacram. matrim.* anathema dicit iis, qui ſtatuunt cauſas matrimoniales non pertinere ad judicem eccleſiaſticum. In terris etiam Auguſtanæ confeſſionis ſeparationem quoad thorum & menſam ſola magiſtratus eccleſiaſtici auctoritate faciendam, tradit Carpz. *Jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. defin. 211.* Verum enim vero, cum in noſtra eccleſia conſiſtorium ſit locus judicii eccleſiaſtici, in quo cauſæ matrimoniales tractantur ac ventilantur. Carpz. *Jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 8. def. 147. n. 1.* & nihil aliud quam judicium eccleſiaſticum Carp. *lib. 3. tit. 1. def. 1. n. 13.* a ſtatibus Auguſtanæ

confeſſionis, poſtquam jurisdictio eccleſiaſtica vigore transactionis Paſſavienſis ad illos delata eſſet, conſtitutum; ut videlicet a viris tam eccleſiaſticis quam ſecularibus eccleſiaſtica negotia ſeparationis cognoſcantur: Carpz. *d. l. n. 7.* proinde quemadmodum huc pertinent cauſæ matrimoniales omnes, Chriſt. Wehb. *de conſiſt. c. 27: ſect. 8. ib.* Ita etiam ſeparationem quoad thorum & menſam, coram conſiſtorio ſeu judice eccleſiaſtico faciendam, nemo hodie ambigit. De ſtatibus imperii immediatis, quid in hac cauſa, ubi non de ipſius vinculi matrimonialis diſſolutione agitur, ſit dicendum, *vid. diſp. de divort. ex cauſ. deſert.* ad quam breuitatis ſtudio nos remittimus.

XII.

Sed non temere magiſtratus conjuges ſeparatim cohabitare permittit, verum tum demum, ubi concurrit juſta & ſufficiens cauſa. Carpz *Jp. conſiſt. lib 2. tit. 12. def. 218. n. 1.* eſt enim extremum quoddam remedium Carpz. *lib. 2. tit. 12. def. 206. n. 4.* ad quod deficientibus demum aliis remediis pervenitur. Carpz. *d. l. def. 116. n. 3.* Reconciliatio itaque ante omnia inter conjuges omnibus modis tentanda, & ea demum, ſed fruſtra tentata, ad hoc remedium deſcenditur. Carpz. *d. tit. 12. def. 211. n. 8. 9.* Cum itaque juſta requiratur & ſufficiens cauſa; proinde cauſæ cognitio præcedat neceſſe eſt. Carpz. *Jp. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 211. n. 7.*

XIII.

Et quidem inter juſtas cauſas refertur: 1. Nimia mariti ſævitia. Eſt quidem uxor in poteſtate mariti; in ejusque tutela & cura. Verum hoc imperium non debet eſſe tyrannicum. Quod enim de patria poteſtate dicitur *l. 5. ff. de L. Pomp. de parricid.* quod non in atrocitate, ſed pietate conſiſtere debeat; illud etiam recte dicitur de imperio maritali: Arniſ. *de connub. c. 7. ſect. 2.* Quamvis itaque modica caſtigatio permiſſa ſit marito, & ſi opus fuerit, ad verbera etiam deveniri poſſit. Carpz. *Jp. conſiſt. lib. 2. tit. def. 212. n. 1. 2. 3.* vid. tamen Brunnem. *ad l. 5. §. ult. ff. ad L. Aquil.*

Aquil. ultra modum tamen ſævire non debet, ſed ſi modum exceſſerit, variis non ſolum modis coërcetur. *Nov. 117. c. 14.* Arniſ. *d. tr. de Jur. connub. ſect. 1. cap. 4.* Carpz. *d. l.* ſed &, concurrentibus circumſtantiis, divortium quoad thorum & menſam conceditur Richt. *vol. 2. conſ. 466.* Caniſ. *ad cap. 2. X. de divort.* Carpz. *pract. crimin. p. 1. q. 12. n. 53.* ubi hac de re etiam tria affert præjudicia. Deinde illud notandum, non modo ob præteritam, ſed etiam ob futuram ſævitiam, quam uxor veriſimiliter timet, ſeparationem fieri poſſe. vid. Dedek. *rubr. de matrim. conſummat. & reciſſ. ſect. num. 1.* Carpz. *Jp. conſiſt. lib. 2. tit. 2. def. 218. in f.* Unde & minas ſufficere tradit idem *def. 219. num. 1.*

XIV.

Poteſt etiam uxor ſeparationi ex hoc capite cauſam præbere. Quid enim ſi admodum rixoſa ſit, & maledictionibus in maritum invehatur, dies noctesque eum exagitando, ut mors ſit ei ſolatium, & vita ſupplicium? Certe vix ullo alio quam ſeparationis remedio proſpici marito poterit. *Melius eſt enim ſedere in angulo domus, quam cum muliere litigioſa & in domo communi,* inquit *Salomo Proverb. 21.* & paulo poſt: *Melius eſt habitare in terra deſerta, quam cum muliere rixoſa & iracunda.* Nota ſunt etiam ea, quæ de ira mulierum notavit Juuenalis. *Satyr. 6. num. 645.*

- - - quoties facit ira nocentem
Hunc ſexum, & rabie jecur incendente feruntur
Præcipites, ut ſaxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.

ut ſane mirum non ſit uxoris culpa fieri ſeparationem; ſi modo alia via alioque modo ejusmodi litigia componi nequeant. Unde, ſi uxor, pœnitentia ducta, a rixa in poſterum ſe abſtinere velle declaret, & correctionem promittat, a ſeparatione tam diu abſtinendum, donec conſtet illuſiſſe marito, Carpz. *d. tit. 12. def. 217.*

§. XV.

Inſuper, ob conjugum inimicitiam, quoad thorum & menſam agi poſſe, conſtat ex *c. 8. verſ. ſi autem X. de reſtituit. ſpoliat.* Farin. *oper. crim. p. 5. q. 143. num. 144.* Cardin. Tuſch. *voc. inimicitia concl. 148. num. 13.* Carpz. *J. C. lib. 2. deciſ. 201. n. 215.* JCtiſſ. Dn. Frommann. *Mæcenas meus venerandus, in diſp. de inimicitia th. 20. num. 5.* modo inimicitia ſit capitalis. Farin. *d. l. n. 145.* Carpzov *d. dec. 176. n. 5. & ſeqq.* Hahn ad ff. Weſenb. *tit. de div. n. 8.* Etiam ſi v. g. uxor ſua culpa in mariti odium incidiſſet. Non enim licet marito, quemadmodum nec aliis, vindicare injuriam ſibi illatam, ſed ea ad auctoritatem judicis referenda eſt. Henr. Caniſ. *ad c. 2. X. de divort.*

XVI.

Deinde, inter juſtas cauſas ſeparationis quoad thorum & menſam, referuntur inſidiæ vitæ conjugis ſtructæ. Sive itaque maritus uxoris vitæ inſidiatus fuerit, ſive uxor vitæ mariti, ſeparatio conceditur quoad thorum & menſam. *c. 1. X. de divort.* niſi ubique ſecuritas ſufficiens præſtetur, per conjugem inſidias ſtruentem. *c. 13. in fin. c. ex transmiſſa 8. de reſtit. ſpoliat.* Carpzov. *Jurisp. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 217. num. 1.* Chriſt. Phil. Richter. *vol. 1. part. 5. conſil. 17. n. 19.* Anton. Theſſaur. *deciſ. 130. num. 3.* Cæppi *θ. 45.* Farin. *d. q. n. 158.* Perdere itaque veneno, aut alio ſimili modo, ſi conjux conjugem tentaverit; magiſtratus ſeparationis cauſam habet ſufficientiſſimam. Carpz. *d. def. num. 1.* Farin. *d. q. n. 154. 155.* Non enim tenentur conjuges cohabitare, quando cum periculo vitæ conjuncta eſt cohabitatio. Caſp. Anton. Theſſaur. *deciſ. 130. n. 3.* Idem dicendum putat Richt. *vol. 1. p. 5. conſ. 17. num. 19.* ſi uxor mariti bonis, vel honori inſidias ſtruxerit, & ſingulariter hoc notandum aſſerit. Verum enim vero multum hac in re judicis arbitrio tribuendum, nec ſimpliciter illud procedere putamus; quoniam, uti ſupra dictum, ad ſeparationem faciendam judex pronus eſſe non debet. Carpz. *Jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 218. n. 1.*

XVII.

XVII.

Furor ab initio matrimonium contrahere non ſinit, quia conſenſu opus eſt: ſed recte contractum non impedit, verba ſunt Pauli *in l. 16. §. 2. ff. de R. N. vid. l. 45. §. 5. ff. eod.* Quamuis enim id conſtitutum legatur in *nov. Leonis III. & ſeqq.* Negativa tamen verior eſt, pro qua contra Nov. Leonis diſputat Beza. *tr. de divort. f. 102. add. Dedekennus ſect. 13. de veris & falſis cauſis repudii. n. 42. conſil. matrim. ſect. 1. n. 5.* Nil eſt enim humanius aut individuæ conjugis fidei convenientius, quam diverſæ fortunæ & fortuitorum caſuum conjuges ex æquo eſſe participes *l. 22. §. 7. ff. ſolut. matrim.* Coppi. *O. 45. in fin.* Carpz. *Jurispr. for. part. 4. conſt. 20. def. 11.* ubi in fine tale adducit præjudicium. Obwohl P. S. nunmehr ins fünfte Jahr mit Unſinnigkeit dermaſſen beladen geweſen, und noch iſt, daß man ihr mit Ketten und Banden verwahren müſſen, ſo hat doch die geſuchte ſeparatio und Abſonderung, beedes der Ehe als auch der Güther, unter den Eheleuten noch zur Zeit nicht ſtatt. Quæ ſententia adeo vera eſt, ut nec ſano licita ſit communicatio corporis alteri facta: quamvis enim huic a conjugis furioſi conjunctione abſtinendum ſit, monente Alber. Gentil. *de nupt. lib. 16. c. 18.* pariter tamen potius refrenandæ cupiditates pravæ, quam per illicita remedium quærendum, fidei nempe conjugalis violatione. Ex quo eſt, quod nihilominus in hoc caſu adulterium committatur; utut ordinaria adulterii pœna remiſſa. Scabini apud Carpz. *tr. crim. part. 2. qu. 61. n. 36.*

XVIII.

Quicquid ſit in caſu furoris, volenti ſeparationem habitationis non eſſe denegandam, quando periculum vitæ alteri conjugum imminet, tradit Carpz. *pr. crim. part. 2. q. 61. n. 39.* add. Alex. *ad l. 22. §. ſi marit. ff. ſolut. matr.* Farin. *oper. crim q. 147. n 138.* Henr. Caniſ. *ad c. 2. X. de divort.* ubi id communiter a Dd. receptum aſſerit. Temere enim velle vitam alterius conjugis inſano furori objicere, quid eſſet aliud, quam Deum tentare & in cædem præſentem agere?

re? uti loquitur Carpz *d. l.* unde quamvis nec illicita habeatur corporum conjunctio, etiam in furore *l. 8. ff. de his qui ſui vel alieni juris ſunt* ab ea tamen ſanæ mentis conjux potius abſtinere, quam compelli debet, ex ratione quam Imp. Leo aſſignat. *nov. 112.* ibi: *Ac profecto ſi forte ex tam infortunato connubio fœtus in lucem prodeat, quum natura fructus rebus vtplurimum aſſimilare ſoleat: quomodo non hic ipſe fœtus humano generi commune detrimentum adferet?*

XIX.

Cæterum de lepra, & ſimilibus morbis contagioſis incurabilibus quæritur, an inter cauſas, ob quas hæc ſæparatio admittitur, recte referantur? Illud quidem certum & apertum eſt, has cauſas ad totalem matrimonii diſſolutionem (quamvis ob easdem ſponſalia recte diſſolvantur, vid. Carpz. *Jp. conſiſt. lib. 2. def. 177 & ſeq.*) non ſufficere; in matrimonio enim multa eveniunt, propter quæ conjuges abſtinere debent licet absque culpa, non tamen absque cauſa, ut loquitur Pontifex, *in c. fin. X. ut lite non conteſt.* vid. *l. 8. ff. de his, qui ſui vel alien. jur. ſunt*, Carpzov. *Jp. conſiſt. lib. 2. tit. 10. def. 180. num. 3.* Nihil enim eſt humanius fideique conjugii convenientius, quam, uti ſupra dictum, adverſæ fortunæ caſuumque fortuitorum conjuges ex æquo eſſe participes. vid. Carpzov. *d. def. 180. n. 3.* Sed, an eæ conſtante matrimonio incidentes, illud quod thorum & menſam ad minimum non ſolvant, quæſtio eſt apud omnes non ſatis expedita? Nos, quicquid dicant alii, ob has cauſas hanc ſeparationem omnino concedendam putamus. Nam Deus ipſe ab horum conſuetudine, qui tali morbo infecti eſſent, lege per Moſen lata, abſtinere iuſſit *Lev. 13. 14.* & alias ubique leproſi hominum commercio exterminantur, & ſolitariam vitam vivere jubentur, imo multis in locis, certis includuntur ergaſtulis, cum verendum ſit, ne ejusmodi contagium propagetur & latius ſerpat, tandemque univerſam civitatem inficiat & contaminet. vid. Joach. a Beuſt. elegans conſi-

conſilium apud Dedek. *rubr. de divort. ob morb. contag. ſect. 18. num. 2. & n. ſeq. 3.* elegans reſponſum Joh. Brentii.

XX.

Inter juſtas cauſas, quibus ad ſeparationem quoad thorum & menſam agi poteſt, multi etiam referunt denegationem debiti conjugalis, exiſtimantes, ſi nulla ratione conjux eo adduci poſſit, ſeparationem cohabitationis faciendam. Verum enim vero, tametſi negari non poſſit, ſeparationem eo in caſu recte fieri; alii tamen hoc rectius de totali ſeparatione, qua nempe vinculum matrimoniale diſſolvitur, intelligunt. Conjux enim debitum denegans conjugale, pro deſertice habetur, Beſold *vol. 3. conſ. 27. n. 27.* ibi: Dieſe, ſo gegenwärtig und mit keinem Zwang zu cohabitiren gebracht kan werden, iſt in vera contumacia; und majori contemptu magiſtratus, dann der deſertor, ſo abweſend, und ficte contumax ſich befindet. Et ſecundum hanc quoque ſententiam Theologos Jenenſes 1668. pronunciaſſe, refert Chriſt. Philipp. Richt. *vol. 2. part. 1. conſil. 26. ibi.* Weilen ſie aber bey ihrem böſen Beginnen verharren, und zu ehelicher Beywohnung ſich nicht bewegen laſſen, ſo wäre ſie mit Gefängnüß ſo lang zu belegen, bis ſie ſich zur Schuldigkeit bequemen; oder da ſie auch durch Zwangs-Mittel nicht zu gewinnen ſeyn würde, ſo würde ſie als ein deſertrix conjugii zu halten ſeyn ꝛc.

XXI.

Furtum ab una conjuge admiſſum, divortii cauſam juſtam præbere nullam, indubitatum eſt. Add. *d. Diſp. de divort. th. 31.* Richter *vol. 2. conſil. 408. & 410.* An vero propterea ſeparatio quoad thorum & menſam concedi queant, dubio non caret omni? Affirmat id ipſum Chriſt. Phil Rich *vol. 2. conſil. 410. n. 6. & ibi:* ſo wird bey ſolchen Umſtänden die Separatio quoad thorum & menſam, auf gebührendes Anſuchen nicht unbillich erkant; ubi idem dicendum aſſerit, quando uxor dotem promiſſam non intulit, *num. 8.* & in fine ſecundum hanc ſententiam JCtorum Collegium Jenenſe pronunciaſſe teſtatur. Verum enim vero, hæc

ipſa

ipſa ſententia juri ſatis conveniens eſſe non videtur, nec dubitamus contrarium defendere. Idque propter *c. 2. X. de divort.* ubi expreſſe dicitur, quod mulier pro furto vel alio crimine viri ſui ſeparari non debeat; loqui autem pontificem de ſeparatione quoad thorum & menſam, in confeſſo eſt; quoniam de jure canonico hæc ſola admittitur. Deinde facit ratio, quod uxor calamitatem mariti ferre debeat æquo animo; Sunt autem illi æque fortunæ tam ſecundæ quam adverſæ participes.

XXII.

SUBJECTUM hujus ſeparationis ſunt conjuges, vocabulo conjugum ſtricte accepto, inter quos nempe vinculum matrimoniale legitime eſt conſtitutum. Conſtituitur vero illud vinculum per conſenſum matrimonialem, ſeu talem, quo maritus jus corporis in uxorem transfert, & viciſſim ab uxore accipit, coram facie eccleſiæ, interventu ſacerdotalis benedictionis. Neque intereſt, an conſcenſio thalami ſit facta, an vero non. Quamvis enim lex vel ſtatutum loquens de conjugum ſucceſſione, illos tantum complectatur, inter quos matrimonium per ingreſſum thalami eſt conſummatum. Carpzov. *iurispr. for. part. 3. conſt. 19. d. 4.* Mev. *ad Jus Lubec. p. 2. tit. 2. A. num. 259.* Würtemb. Landrecht. *part. 4. tit. in pr. p. 12. 13.* ubi Dr. Lauterb. *anteceſſor hujus academiæ celebratiſſimus, patronus meus omni honoris cultu proſequentiſſ.* Attamen ad ſeparationem quoad thorum & menſam ſufficit matrimonium perfectum; quo ipſo removentur ſponſalia, ſive de præſenti ſint, ſive de futuro. Ubi itaque magiſtratus juſta ex cauſa ſponſalia diſſolvit, nulla fit ſeparatio quoad thorum & menſam; ſed, diſſolutis ſponſalibus, facultas conceditur ad alia transeundi vota: Ex iisdem quidem cauſſis, quibus judex conjugibus ſeparatim habitare permittit, poſſe etiam ſponſalia diſſolvi, dubium habet nullum. arg. eorum, quæ tradit Benedict. Carpzov. *iurispr. conſ. lib. 2. tit. 12. d. 210. num. 10.* ſed vero diſſolutio illa ſeparatio quoad thorum & menſam dicitur nequaquam.

XXIII.

XXIII.

Deinde cum inter conjuges tantum fiat hæc ſeparatio, requiruntur perſonæ tales, inter quas matrimonium de jure ſubſiſtere poteſt. Unde ſi de facto matrimonium ſit contractum, inter perſonas, quæ matrimonio jungi prohibentur, comperto errore, hi quidem conjuges ſeparantur, & quidem per ſententiam divortii. *c. 1. X. de conſang. & affinit. c. 3. X. de cognat. ſpirit.* Verum hæc ſeparatio, divortium neque totale, neque partiale, recte dicitur, ſed prout inter eos matrimonium de facto eſt contractum; ita ſimiliter inter eos divortium de facto fit. Henr. Caniſ. *ad tit. X. de divort. n. 4.*

XXIV.

OBJECTVM ſeparationis noſtræ, non eſt vinculum matrimoniale, ut ex ſequentibus patebit, ſed obligatio cohabitationis. Hic enim, durante vinculo matrimoniali, fit ſeparatio quoad habitationem tantum, usque dum cauſa illa, ob quam conceſſa eſſet. Aſt ubi propter adulterium, vel malitioſam deſertionem fit ſeparatio, vinculum ipſum matrimoniale diſſolvitur, & parti innocenti, ad alia convolare vota, licentia conceditur. Vnde ſimul conſtat de forma ſeu differentia ſpecifica ſeparationis quoad thorum & menſam, & illius, quo ipſum vinculum matrimoniale diſſolvitur, quæ cum per ſe plana ſint, properamus ad alia, & quidem modum ſeparationis.

XXV.

Utcunque autem ſeparationis cauſa juſta exiſtat, non tamen facile ad eam deveniendum; ſed fatigatis prius omnibus remediis, quibus reconciliatio obtineri poteſt. Carpzov. *Jp. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 218. num. 1.* Dedek. *de divort. in caſ. viol. ſect. 8. num. 1.* Eſt & inter illa non poſtremum ſatisdatio, vel cautio a conjuge præſtanda. Cöppi. *O. 45. n. 6.* Carpz. *d. def. n. 2.* Quando igitur ob ſævitiam ſeparatio petitur quoad thorum & menſam, non aliter decernitur ea, quam, ſi a parte nocente cautio, vel nulla, vel non idonea

præſtari poteſt. Ad cautionem ſi ſe offert pars nocens de non amplius offendendo, omnino audienda erit. Farinac. *oper. criminal. quæſt. 145. num. 224.* Quod enim habet Anton. Theſſaur. *deciſ. Pedemont. 130.* quod uxor non teneatur cohabitare, etiamſi maritus cautionem præſtet, illud falſum eſt per text. *in c. literas 13. in fin. c. ex transmiſſa 8. X. de reſtit. ſpoliat.* Dedek. *de matrim. conſ. & reſciſſ. ſect. 2. n. 1.* Henr. Caniſ. *ad C. quæſivit. 2. X. de divort. num. 3.* Carpz. *Jp. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 218. n. 3.* unde ita in hoc caſu conſiſtoria pronunciare ſolent: Daß Klägerin ihrem Ehemann, ehe und bevor er ihr gnugſamen Vorſtand, ſie an ihrem Leib und Leben nicht mehr zugefahren, ihr auch mit den Kindern nothdürftigen Unterhalt zu verſchaffen, wircklichen beſtellet, hinführo beyzuwohnen nicht ſchuldig. Carpz. *d. d. 218. num. 12. & ſeqq.*

XXVI.

Expeditur hæc cautio de non offendendo, regulariter pignoribus & fideiuſſoribus, per ea, quæ tradit Carpz. *d. tit. 12. def. 219. num. 3.* Henr. Caniſ. *d. c. 2. X. d. divort. num. 3.* Inde idoneam eiusmodi cautionem cum non ſemper ſævientes mariti inveniant, proinde præſtandæ cautionis difficultas non raro efficit, ut tantum ad reconciliationem adigantur. Quid vero dicendum, ſi neque pignoribus nec fideiuſſoribus nocens pars cavere poſſit? Cautionem juratoriam ſufficientem putant aliqui. vid. Dedek. *d. ſect. 1. num. 1.* Matth. Coler. *deciſ. 232. n. 4. part. 2.* Farin. *d. l. n. 216.* Ita Dnn. Jenenſes apud Chriſt. Phil. Richt. *vol. 2. conſil. 466. n. 3.* ibi: ſo iſt er mit dem anerbottenen Eyde zuläßig. Eamque cautionem in Conſiſtorio Stutgardiano An. 1602. den 25. Febr. admiſſam, dicit Bidenbach. *Promptuar. connub. c. 5. q. 1. p. 541.* Ne videlicet maritus, pignoribus & fidejuſſoribus deſtitutus, carere cogatur conjuge, cui fidem ac humanitatem promittere & jurato quidem, eſt paratus. Verum enim vero multum hac in re prudentis judicis arbitrio eſt relinquendum, qui ad qualitatem perſonæ caventis, aliaque bene multa reſpicere

debet.

debet. Quid enim ſi maritus talis ſit perſona, cui ſatis tuto conjux fidere nec velit, nec poſſit? An itaque juratoria cautio ſufficiens ſit, prudens judex arbitrabitur. Henr. Caniſ. *ad d. c. 2. X. de divort. num. 3.* Covarruv. *in lib. 4. decretal. cap. 7. §. 5. num. 1.* Carpz. *Jp. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 219. per tot.* Cöpp. *Q. 45.* Ponce *d. matrim. lib. 9. c. 23. num. 5.* Ricc. *deciſ. 254.* Quando autem ad juratoriam cautionem admittitur, ſub hac fere formula, quam habet Carpzov. *d. l. in fin.* præſtari ſolet: Ich N. ſchwöre hiermit einen Eyd zu GOtt, daß ich hinführo mein Weib N. an ihrem Leib und Leben nicht beſchädigen noch gefähren wolle.

XXVII.

Acceptata a parte nocente ſufficiente cautione de non offendendo, præſumptio ſævitiæ ceſſat, uxor marito injuriam ſibi illatam remiſiſſe, adeoque ex utraque parte reconciliatio facta cenſetur. Cui conſequens eſt, quod conjuges ad cohabitandum rurſus ſint compellendi, cum tantum valeat præſtita cautio, quantum operatur conciliatio facta. Reconciliatione autem facta conſtat, ſeparationem quoad thorum & menſam locum non habere, ſed ad cohabitationem eſſe compellendos. Non itaque proprio auſu ac lubitu temerario his ſeparatim degere licet, quod ſi fiat, pœnam merentur, & ad cohabitandum compelluntur. *arg. c. literas tuas X. de reſtit. ſpoliat. in fin.* ibi: *Alioquin ſufficienti (ſi fieri poteſt) ſecuritate proviſa, profecto videtur conjux ante cauſæ cognitionem reſtituenda marito.* Maxime, cum decreta ſemel ſeparatio per ſufficientem cautionem aboleatur, per ea, quæ infra dicentur. vid. interim Carpzov. *lib. 2. tit. 12. def. 220.* Farin. *Oper. crim. p. 5. quæſt. 143. num. 224.* Deinde præſtita ſufficienti cautione, pœna ſævitiæ a marito exercitæ (de qua vid. Carpzov. *Pr. crim. part. 1. quæſt. 12. num. 51. Jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. d. 221.*) eidem remittitur. Carpz. *d. l.*

XXVIII.

Quid vero dicendum pendente ſeparationis proceſſu,

an etiam uxor marito cohabitare cogatur? Ita quidem videtur dicendum, quoniam ſeparationis decretum hoc demum efficit, ne invicem cohabitare teneantur. Quamdiu ergo decretum ſeparationis expectatur, non videntur conjuges a vinculo cohabitationis liberari. Quæ licet ita ſint regulariter, poteſt tamen magiſtratus, etiam non expectato decreto ſeparationis, injungere marito de ſævitia accuſato, ut ſeparatim degat, ne videlicet uxor ſævitiam viri metuens, interim proprio auſu diſcedat. Carpz. *Jurisp. conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 222. num. 7.* Ad ſeparationem vero agens mulier, jure petit ſumtus litis ex bonis mariti. Carpzov. *Jurispr. for. p. 4. conſt. 21. def. 12.* Add. Ricc. *deciſ. 2674.*

XXIX.

Hæc omnia ſi præceſſerunt, nec reconciliatio ſequatur, aut ſufficiens cautio præſtita fuerit, decretum ſeparationis interponit judex; ubi ad cujuscunque loci ſtatuta & conſuetudines eſt reſpiciendum. Nullam thori vel menſæ mentionem in ſententia fieri ſcribit Bidenb. *prompt. connub. cap. 5. q. 1. verſ. quando in fin.* Sed contrarium conſtat ex multis præjudiciis, non ita pridem ad nos transmiſſis hocque fere modo fieri ſolet: wird die Eheſcheidung zwiſchen N. und N. zu Tiſch und Bett erkandt.

XXX.

Separatione per decretum facta, vinculum matrimoniale (ſive ut loquitur Pontifex *in c. 1. cauſ. 32. q. 7.* confœderatio nuptialis) non tollitur. Unde ejusmodi ſeparatio proprie loquendo divortium non eſt. Ad divortium verum enim, juxta Paulum JCtum requiritur deſtinatio perpetuam conſtituendi diſſenſionem *in l. 3. ff. de divort.* Manente itaque vinculo matrimoniali, ſeparatio tantum domeſtica inter conjuges ad certum ſaltem tempus, usque dum cauſa illa ceſſat, inſtituitur, Carpzov. *in part. 3. deciſ. 291. num. 4.* Dedek. *d. ſect. 2. num. 11.* Unde ſeparatione facta, ſeparatim habitant vir & uxor. Carpzov. *d. l. num 5.* Ingreſſus tori ſi-

ſtitur

ſtitur ad tempus. Carpz. *deciſ. 291. num. 12. part. 3.* Si tamen honorem habeant invicem matrimonii, nuptiæ etiamnum durant; quia non concubitus, ſed matrimonialis affectio facit nuptias. Carpzov. *d. l.* Unde his quoque injungitur: Daß ſie ſich züchtig und ehrlich, desgleichen friedlich mit Worten und Wercken gegen einander halten ſollen ꝛc. Unde conſequens eſt, quod conjugibus quoad thorum & menſam duntaxat ſeparatis, ad alia convolare vota interdictum ſit. Carpz. *d. deciſ. 291. n. 1.* Id. *in Jurispr. conſiſt. lib. 2. tit. 12. d. 210. in fine.* ibi: So mag dahero mehr erwehnter eurer Tochter ſich anderwerts zu verehlichen keineswegs verſtattet noch zugelaſſen werden ꝛc. Usque adeo, ut contrahentes bigamiæ crimen incurrant. Hoc quippe toties committitur, quoties maritus vel uxor, conſorte & ſocio vitæ adhuc ſuperſtite, aliam uxorem vel maritum ſuperinducat. Carpz. *Pr. crim. part. 2. q. 66. num. 1.* Jam vero vinculum matrimoniale per ſeparationem cohabitationis non eſſe diſſolutum conſtat. Tametſi bigamiæ pœna ordinaria hic ceſſare videatur, ex iis, quæ de adulterio mox dicentur.

XXXI.

Deinde fluit ex antea dictis, facta ſolummodo quoad thorum & menſam ſeparatione, quin vinculum matrimoniale adhuc durat, a ſeparatis perſonis revera adulterium committi, ſi interim cum alia perſona concumbant. Pœnam vero adulterii ordinariam hic ceſſare, reſponderunt Sabini Lipſienſes apud Carpzov. *pr. crim. part. 2. quæſt. 61. num. 53. & ſeqq.* Dn. Felden *Element. jurispr. p. 290.* Nimirum, ſeparata perſona hic non peccat ex intemperantia pro objecto habente vagas libidines, ſed ex quadam incontinentia quæ, licet reum ab omni pœna non eximat, liberat tamen a pœna ordinaria. Carpzov. *d. d. 291. num. 9.* Et hæc, quæ modo dicta, haud dubie locum inveniunt, quando pœna adulterii eſt ultimum ſupplicium, uti in terris Saxonicis, de quo vid. Carpz. *pr. crim. part. 2. q. 54. n. 27. & 28* Quando autem adulterium carcere, aut pœna pecuniaria punitur, an

hoc caſu de pœna quicquam ſit remittendum, controverſa quæſtio eſt? Pro affirmativa ſtare videntur rationes ſuperius adductæ, quam etiam in puncto juris veriorem arbitramur.

XXXII.

Verum qua pœna ſit plectendus adulter, qui facta quoad thorum & menſam ſeparatione, ad aliam fœminam prolapſus eſt ſolutam, ſi uxor ei crimen condonare, ac impoſterum quoad thorum & menſam rurſus cohabitare vel ii *in F. S. Q.?* Notum eſt ex *conſt. elect. part. 4.* quod ad interceſſionem conjugis pœna ordinaria adulterii, reo hujus criminis remittatur, ſubſtituta in ejus locum perpetua relegatione: Carpzov. *pr. crim. part. 2. q. 55. num. 23. & ſeqq.* An itaque contra maritum perpetua relegatio dictari poſſit, ſi uxor eidem quoad thorum & menſam cohabitare velit, quæritur? Nimirum temporalem ſolummodo relegationem, vel pœnam carceris, marito adultero hoc caſu dictatam, tradit recte Carpz. *part. 2. deciſ. 201. num. 10. & ſeqq.* ubi præjudicium *num. 15. ibi:* Dafern nun bemeltes Inquiſiti Weib ihre Erklärung in der Perſon, und gerichtlichen widerholen würde, maſſen ihr zu thun oblieget: So möchte Inquiſito dem h. Eheſtand zu Ehren, die ewige Land-Verweiſung erlaſſen, und er allein mit zeitlicher Land-Verweiſung auf ein Jahrlang; oder drey Wochen mit Gefängnüß geſtrafft werden.

XXXIII.

Porro, cum ſic ſeparati conjuges quoad thorum & menſam, non deſinant eſſe maritus & uxor: vid. Klock. *vol. 3. conſil. 118. num.* Et vero maritus uxori ad alimenta teneatur *l. 22. §. 8. ff ſolut. matrim.* quæri non incommode poteſt, an obligatio iſta ad alimenta, per factam ſeparationem extinguatur? Non extingui generaliter ſcribunt nonnulli: Bidenbach. *Prompt. connub. cap. 5. quæſt. 1. verſ. quando vero.* Cöpp. *O. 45. in præjud.* Nos diſtinguendum putamus, an maritus uxori omnia bona allata reſtituere paratus ſit, an vero non. Si poſterius, aut culpa ipſius mariti, ob ejus forte ſævitiam, facta eſt ſeparatio,

tio, aut culpa uxoris. Priori in caſu obligatio ad præſtanda alimenta haud cenſetur extincta, Carpz. *Juriſpr. Conſiſt. lib. 2. Tit. 12. d. 213. Add. eund. p. 2. d. 291. num. 16.* ubi id ipſum quoque præjudicio confirmat Joh. Nevizan. *Sylv. Nupt. lib. 1. num. 38. pag. 55.* Bald. *in l. qui uxor C. de negot. geſt.* Beuſt. *de Jur. Connub. p. 2. cap. 7.* Poſteriori caſu non æque Bald. *in l. qui in uxorem C. de negot. geſt.* Carpzov. *d. defin. 213. num. 7.* Joach. a Beuſt. *d. l. §. 5. num. 3. ibi: Quando mulier abeſt propter culpam mariti, quod tunc maritus teneatur ei præſtare alimenta, ſecus ſi ſua propria culpa abeſſet.* Quando autem maritus uxori bona allata reſtituere paratus eſt, aut ex compoſitione amicabili, aliave juſta ex cauſſa a magiſtratu ad hoc adigitur, tunc iterum diſtinguendum eſt: An nempe uxoris bona illata ad alimenta conſequenda ſufficiant, an vero non. Priori caſu, ratio alimentandi ceſſat, ſed poſteriori caſu non æque, ſed tunc ad ſupplementum eum judex condemnare debet. Si enim maritus uxorem alere tenetur ſecundum veriorem ſententiam, quamvis dotem intulerit nullam, non poterit ſane maritus hoc caſu ſeſe ab hoc onere ſubducere. Carpzov. *Juriſpr. Conſiſt. lib. 2. Tit. 5. def. 214. num. 12.*

XXXIV.

Quemadmodum maritus, non obſtante ſeparatione, onera nihilominus matrimonii ſuſtinere cogitur: Ita eundem commodis, quibus ex matrimonio gaudet, non privari, æquitatis ratio pariter ſuadet. *arg. l. ſecundum naturam 10. de R. I.* Uſumfructum itaque ex legis vel ſtatuti diſpoſitione quamvis maritus facto divortio totali amittat: facta tamen ſeparatione quoad thorum & menſam non amittit, ſed retinet; Carpz. *part. 3. deciſ. 231. num. 17.* ubi præjudicium: fructusque in compenſationem alimentorum uxori debitorum percipit. Idem *in Juriſpr. for. part. 3. conſt. 26. def. 18.*

XXXV.

Utrum vero dos ſit reſtituenda, controverſa quæſtio eſt? Quæ, ut melius intelligatur, diſtinguendum: an culpa uxoris,

uxoris, an vero mariti, ſeparatio facta fuerit. Si culpa uxoris, certum eſt dotem propterea eandem non amittere. Nulla enim eſt lex, quæ eam hoc caſu uxori auferat, in tali caſu, ubi non ex cauſſa adulterii, vel malitioſæ deſertionis facta eſt diſſolutio matrimonii totalis. Quod enim *in c. plerumque 4. X. de donat. int. vir & uxor.* dicitur, mulierem dotem amittere quando ejus culpa ſequitur divortium: intelligi debet de tali culpa, propter quam jura exprimunt dotem amitti, quales inter ſævitia non eſt. Sine textu autem aliquem jure ſuo privare, permiſſum non eſt. Baſil. Ponce *d. matrim. lib. 9. c. 23. num. 12.* Add. Menoch. *d. A. I. Q. cent. 3 caſ. 387.* Quando culpa mariti facta eſt ſeparatio, iterum expeditum eſt, donationem propter nuptias non lucrari uxorem. Sed an in propoſito caſu dotem reſtituere teneatur uxori, dubio haud caret; cum diſceptantes Dd. opiniones hac de quæſtione reperire liceat? Omnino reſtituendam eſſe tradunt in terminis: Merlin. *deciſ. 672. num. 1.* Joh. a Sand. *lib. 2. Tit. 6. defin. Friſic. 1.* ubi ita judicatum in ſuprema curia Friſica refert. Nec alienus eſt ab hac ſententia Dn. Brunnem. *ad l. 38. D. ſolut. matrim. num. 4. & ſeqq.* ubi dicit, iniquiſſimum eſſe, ut maritus expellat uxorem, vel ita tractet, ut uxor petere cogatur ſeparationem, ſimulque pati, ut maritus bonis ſuis fruatur. Add. Hillig. *in Donell. lib. 14. c. 5. lit. a.* Sed contrarium multis placet. Carpz. *part. 3. deciſ. 291.* Finck. *Obſ. 31.* Multum hac in re prudentis judicis arbitrio tribuendum eſſe, nemo diffitebitur facile. Si enim uxor ſeparata velit contenta eſſe alimentis a marito exhibendis, haud ſane dotem reſtituere cogendus maritus uxori, quam ipſe interim alere, & cætera matrimonii onera ſubire cogitur; ſed ad quem onera matrimonii tunc ſpectant, ad eum etiam fructus dotis pertinere, in jure tralatitium eſt. *arg. l. 20. l. 29. C. de jur. dot. l. 22. §. 8. ff. ſolut. matrim. Add. l. ſecundum naturam 10. de R. J.* Carpz. *d. deciſ. 291.* Finckelt. *d. l.* Quod ſi uxor nolit a marito alimenta expectare, & forte inſidias metuat; tunc, ſiquidem nihil aliud

ſubſit,

ſubſit, cogendum maritum, ut dotem reſtituat, quo ſe ipſam exhibeat, tradit Brunnem. *d. l. 38. n. 5.*

XXXVI.

Quid vero dicendum, ſi liberorum communium alimentatio & educatio, nihilominus committenda ſit marito: (Poteſt enim maritus vel maxime odiſſe uxorem, ſic tamen, ut liberos communes paterno amore proſequatur.) Huic ſane uſumfructum bonorum uxoris non eſſe adimendum, æquitati & rationi convenientius putamus; quod etiam agnoſcit Dn. Brunnem. *d. l.* Cæterum, ſi uxor ſeparata contra maritum ad dotem recuperandam vel alias egerit, non obſtante ſeparatione, marito beneficium competentiæ non eſſe denegandum, tradunt Rodenburg. *de jur. conjug. cap. 4. num. 12.* Chöpin. de Morib. Pariſ. *lib. 2. tit. 4. de teſtam. num. 15.*

XXXVII.

De liberis etiam quæſtio oritur: Ubi educandi ſint facta ſeparatione? Divortio totali facto liberos apud partem innocentem ſumptibus nocentis educandos eſſe, textus eſt expreſſus *in Nov. 117. cap. 3. tot. tit. divortio facto, apud quem lib.* Carpzov. *part. 3. deciſ. 291. num. 20.* An vero idem ſit dicendum ſeparatione cohabitationis facta quæritur? Affirmat Carpzov. *d. deciſ. 291.* Quoniam, ut ipſe ratiocinatur, parti innocenti non minimus, ex ſævitia conjugis, ejusque mala & infelici cohabitatione, attrahitur dolor & afflictio, ut illi parcendum & condolendum potius ſit, quam ulterior addenda afflictio; quod tamen fieret, ſi delectatio, quam parentes ex ſuavi ſobolis amplexu & blanditiis capiunt, ei denegaretur; e contra vero pars nocens non ſolum ſeſe indignum reddidiſſe cenſetur, quo minus ulla permittenda ſit ei delectatio ex piæ ſobolis educatione: ſed etiam, ex educatione apud partem nocentem nonnihil periculi ſubeſſe videtur. Quænam enim educatio ſperanda ab eo, qui nec pietate, nec morum integritate, propriæ præeſt familiæ? quam correctionem ſobolis ſibi pollicebitur reſpublica ab eo, qui ipſemet

opus habet correctione? Carpzov. *d. l.* ubi in hanc ſententiam duo adducit præjudicia. Nos etiam hac in parte, non omne judicis prudentis arbitrium excludendum cenſemus, cujus erit, qualitatem cauſæ, perſonæ conditionem & id genus alia, diligenter & accurate ponderare, & judicare, cui ex his magis educatio ſit committenda.

XXXIIX.

Conſuetudine univerſali in tota non ſolum Germania, ſed & alibi recepta; ſocietas quædam bonorum tacita inter conjuges contracta cenſetur, cujus vi, acquæſtus conjugales fiunt inter conjuges communes, de qua vid. omnino *diſput. de ſociet. bonor. conjug.* ſub præſidio Domini Lauterb. *hic Tubingæ Anno 1661. habit.* Annon itaque facta ſeparatione, ceſſet illa communio acquæſtuum controverti ſolet? Divortio totali inter conjuges facto, ſocietatem conjugalem finiri conſtat. De adulterio vid. Maſtryll. *lib. 1. d. 57.* Caſſan. *ad conſuet. Burg. Rubr. 4. §. 2.* Mev. *ad Jus Lubec. part. 2. th. 12. num. 408.* De malitioſa deſertione Joh. a Sande *lib. 2. tit. 5. defin. 7.* Sed an idem dicendum ſit de ſeparatione cohabitationis? Multis in locis ad hanc conjugalem ſocietatem requiritur cohabitatio conjugum, & quidem ejus temporis, quo lucra facta ſunt. Garſ. *de conjug. acquæſt. num. 52.* Didacus a Segura *in repet. ad l. 67. §. 5. de leg. 2. num. 42. & ſeq.* quod etiam ſequuntur Hiſpanorum mores, Lopez. *de lucro marit. & uxor. cap. 6. num. 1.* Idemque apud Gallos communiter ſervari teſtatur Bôer. *deciſ. 22. num. 23.* Caſſan. *ad conſuet. Burgund. Rubr. 4. §. 2.* Unde videbatur dicendum, quod ceſſante cohabitatione, ipſius acquæſtus fundamento, ipſa quoque communicatio acquæſtuum ceſſare debeat. Cui accedit, quod acquæſtus conjugalis medietatem conjugi tribuentia ſtatuta & jura, magis collaborationem, mutuam operam ac induſtriam conjugum, quam ipſum matrimonium ejusque vinculum reſpiciant; quam ſocietatem conjugalem, poſtquam diſſolvit ſeparata habitatio & ſeparatio thori,

proin-

proinde nihil horum nomine communicandum videtur. Verum enim vero Dd. hic diſtinguunt, inter partem nocentem & innocentem. Si itaque propter culpam mariti ac ſævitiam facta ſit ſeparatio, uxor nihilominus lucratur medietatem acquæſtus facti a viro ſeorſim habitante. Sin ob culpam uxoris, maritus quoque acquæſtus fœminei partem dimidiam habebit. Joan. Garſias *d. acquæſt. conjug. num. 59.* Beſold. *vol. 5. conſ. 260.*

XXXIX.

Circa ſucceſſionem in caſum mortis quæritur, an facta ſeparatione quoad thorum & menſam inter conjuges ſit ſucceſſio; ita ut ſuperſtes ex bonis defuncti portionem ſibi ex ſtatuto in caſum mortis debitam lucretur? Diverſæ ſane reperiuntur hac de re Dd. ſententiæ. Negant quam plurimi, quos laudat ac refert Andr. Kohl. *de ſucceſſ. conjug. part. 1. num. 38.* Indiſtincte affirmant alii. Carpz. *Jurispr. Conſiſt. lib. 2. tit. 12. defin. 215.* Finck. *Obſerv. 31.* Diſtinguunt alii: 1. inter partem nocentem & innocentem; ita: ut is quidem, qui cauſam ſeparationi dedit, dolo vel culpa ſua, in bonis innocentis jus ſuccedendi habeat nullum, ſuccedat vero pars innocens in bonis nocentis prædefuncti. Andr. Kohl. *d. ſucceſſ. conj. d. l.* Valent. Forſter. *d. jur. ſucced. ab inteſt. l. 9. c. 3. n. 30.* Chriſt. Phil. Richt. *tr. de ſucceſſ. ab inteſt. ſect. 4. membr. 4. num. 30. & ſeqq.* Chriſt. Beſold. *part. 5. conſil. 250. per tot.* Berlich. *in concl. 36. num. 25.* ſed huic dicam ſcribit Carpz. *Jurispr. Conſiſt. d. l. num. 11. & in pr. crim. part. 2. quæſt. 58.* ubi inſuper habita hac diſtinctione, pro contraria ſententia adducit præjudicia conſiſtorii, ut & Scabinatus Lipſienſis. *d. l. n. 12. & ſeqq.*

XL.

Deinde inter judicialem & extrajudicialem ſeparationem diſtinguunt aliqui. Andr. Kohl. *d. l. 39.* Verum enim vero extrajudicialem ſeparationem quoad thorum & menſam agnoſcimus nullam; quia, uti ſupra dictum, omnis ſepara-

tio facienda eſt in judicio. In tanta opinionum varietate ſententia diſtinguentium inter partem nocentem & innocentem, juris non tantum analogiæ convenientior; ſed & communior, atque in praxi receptior eſt. Pro parte quidem innocente ſuffragari videtur innocentia, cum non ſit quod imputari ei poſſit, nec per eum ſteterit, quo minus cohabitaret; non itaque æquum videtur, jus futuræ ſucceſſionis ei ſemel quæſitum, per culpam factumque conjugis auferri, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur, contra jura manifeſta. Cui adde; quod innocens pars ſit alias plus ſatis onerata, dum ſolicitariam vitam agere, ac ſine culpa ſervare continentiam cogitur. Proinde vel hac etiam cauſa non esſe auferendum jus ſucceſſionis; ne duplex damnum habere cogatur, neque afflicto afflictio addatur conſtat. Kohl. *d. l.* Unde maritum, qui ob graves cauſas a rixoſa muliere diſceſſerat, ad lucrum ſtatutarium admiſſum tradit Brunnem. *ad l. un. ff. unde vir & uxor num. 9.* Quam ſententiam etiam jure provinciali Würtembergico procedere putamus. *arg. text. in part. 4. tit. 2.* §. Je doch. Si enim matrimonium per benedictionem ſacerdotalem & aſcenſionem thalami nondum perfectum ac conſummatum, pro conſummato haberi debet quoad effectum portionis ſtatutariæ, quoties per alterum non ſtetit, quo minus perficeretur ac conſummaretur. *d. text.* Unde conſequens eſt, quod matrimonium etiam ad dies vitæ duraſſe cenſeatur, quoties per unum conjugum non ſtetit. Nec huic ſententiæ refragatur, quod, portionem ſtatutariam in caſu deſertionis malitioſæ non deberi parti etiam innocenti, fuerit dictum *in Diſp. de divort. ex cauſa deſert. th. 65.* Namque inter hunc noſtrum, & qui ibidem proponitur, caſum, diverſitatis ratio eſt manifeſta. Et ſecundum hanc diſtinctionem reſpondit Chriſt. Beſold. *in conſil. Tubing. part 5. conſil. 250. per tot.*

XLI.

Quando conjux ſeparationis cauſa exiſtit, nihil ſane

æqui-

æquius eſt, quam eandem ſucceſſionis commodo carere; idque propter *l. un. ff. unde vir & uxor.* Et quia ſucceſſio inter virum & uxorem ſemper hanc tacitam videtur habere conditionem, ſi conjuges officio ſuo ad mortem usque non defuerint. Petr. Heig. *part. 1. q. 33. num. 14.* Iniquum itaque eſſet, conjugem officium negligentem, ex bonis defuncti conjugis quicquam lucrari. *arg. l. ſi ab hoſtibus 10. §. ſi vir 1. ff. ſolut. matrim.* cum is, qui in legem committit, beneficium legis habere non debeat. Valentin. Förſter. *de ſucceſſ. ab inteſt. lib. 9. cap. 3. num. 30.* Chriſtoph. Phil. Richter. *ſect. 4. membr. 4. num. 32.* Quod etiam admittit Dn. Brunnemann. quando probabiliter poteſt colligi, mortem occaſione ejus ſævitiæ ex mœrore vel doloribus, vel aliis inde ortis ſymptomatibus ſecutam eſſe propter *l. ſi ab hoſtibus 10. ff. ſolut. matrim.* De jure Würtembergico partem nocentem nihil lucrari, argumento eſt textus *in part. 3. tit. 19.* Si enim maritus ob id ſolum, quod mulierem verberibus ſine cauſa tractavit, aut alias contumelioſe eandem habuit, etiam non facta ſeparatione quoad thorum & menſam, poteſt a legitima etiam, quæ hoc jure debetur conjugi *part. 3. tit. 19.* excludi: nihil ſane impedit, quo minus eundem, facta ſeparatione, a ſucceſſione excluſum dicamus. *arg. d. l. un. ff. unde vir & uxor.* Add. Beſold. *d. p. 5. conſil. 250.* Unde Bocer. ſucceſſionem ſuperſtiti conjugi tribuit, tunc demum, ſi nullo divortio interveniente vir aut uxor deceſſerint.

XLII.

Illud apud nos dubitatione caret omni, ſi non eccleſiæ judicio ſint conjuges ſeparati; ſed auſu proprio conjuges invicem diſceſſerint; idque, vel mala gratia, propter contentiones nempe, diſcordias, & rixas: ſive bona gratia, ſeparationem quandam privatam inſtituerint, puta, ſi voverit uterque continentiam, aut propter anguſtiam rei familiaris maritus uni, uxor alii miniſterium exhibeat, victus & amictus quærendi gratia, ſucceſſioni locum eſſe. Hæc enim ſeparatio

paratio non eſt vera ſeparatio quoad thorum & menſam, ſed illicita & invalida. Quod autem de jure non valet, vel effectum non ſortitur, non præſtat impedimentum. *c. non præſtat. de R. J. in 6.* Deinde, licet ſponte deſierint cohabitare; aut alter alterum reliquerit, tamen permanet matrimonium juſtum; quippe quod, ne mutuo quidem conſenſu, dirimi potuit; cum itaque amor & animorum conjunctio adhuc vigeat, ſucceſſio etiam locum habebit. Andr. Kohl. *d. ſucceſſ. conjug. part. 1. num. 41. & ſeqq.* Carpz. *Jurisp. for. part. 3. conſt. 26. def. 16.* ubi in fine præjudicium tale adducit: Und es hat ſich das Weib ſelbſten von bemeldten ihrem Ehemanne mit Tiſch und Bette abgeſondert, und ihren eigenen Handel für ſich allein getrieben: da nun bemeldtes Weib über beſchehene Warnung von der geiſtlichen Obrigkeit in ſolcher Abſonderung verharren würde; So wäre ſie aus ihres Ehemanns Verlaſſenſchaft nach deſſelben Abſterben etwas zu fodern nicht befugt rc. V. R. W.

XLIII.

Ad ADFINIA, 1. pertinent omnes illæ ſeparationis ſpecies, de quibus ſupra th. 2. fuit actum; quæ quidem etiam poſſunt ſuo modo dici ſeparatio quoad thorum & menſam; ab hac vero noſtra toto cœlo differunt, uti cuivis facile patet. Deinceps huc referri poteſt divortium totale, quo, præter ſeparationem cohabitationis, ipſum vinculum matrimoniale tollitur. Denique huc referri poſſunt cauſæ omnes, ob quas ſponſalia diſſolvuntur. Unde, quando ſponſus alicujus ſævitiæ arguitur, ſponſam, ſi conſortium ejus renuat, ad matrimonium conſummandum cogi non poſſe, recte aliqui ſentiunt. *Quid enim cauſæ eſſet*, inquit Carpzov. *Jp. conſiſt. lib. 2. tit. 12. d. 212. num. 6. ut compellerentur conſummare matrimonium, qui poſt conſummationem ejus reſciſſionem quoad thorum & menſam petere valent?* Quo in caſu conſiſtorium ſupremum ita pronunciaſſe refert idem in f. hiſce verbis: Dieweil Beklagte die angezogene und an ihr verübte Sævitien

tien zur Nothdurfft erwieſen; So mag ſie Klägern zu ehelichen wider ihren Willen nicht angehalten werden, ſondern ſie wird von ſeinen Zuſprüchen billich abſolviret und entbunden, ꝛc. Idem dicendum, intervenientibus inter ſponſum & ſponſam inimicitiis capitalibus. *cap. 2. X. d. ſponſal.* Carpzov. *Jurispr. Conſiſt. lib. 2. tit. 15. def. 176.*

XLIV.

Dicendum nunc de CONTRARIIS. Quædam vero ab initio impediunt, ne fiat ſeparatio cohabitationis, quædam ſeparationem jam factam tollunt, efficiuntque, ut omnia in priſtinum ſtatum reſtituantur. Illa ex præcedentibus facile poſſunt cognoſci. Huc pertinet: 1. in genere, quando cauſa, propter quam competit, tollitur; juxta vulgatum illud: ſublata cauſa, tollitur effectus. Non enim ſeparatio inter conjuges cohabitationis, perpetuam diſſolutionem matrimonii efficit, nec ſpem adimit omnem ulterioris cohabitationis, ſed ad certum ſolum tempus fit hæc ſeparatio. Carpzov. *Jurispr. Conſiſt. lib. 2. tit. 12. d. 210. n. 3. & 216. n. 1.* Unde ob unius vel alterius inimicitiam, ſævitiam, machinationem mortis, continuas rixas, quando fit ſeparatio cohabitationis, reconciliatione inter conjuges poſtea ſecuta, tollitur eadem. Si enim hoc obtinet in divortio totali, quando vid. juſta & ſufficiens ſubeſt cauſa, per ea quæ tradunt Carpzov. *Jurispr. for. part. 3. conſt. 26. def. 13.* Berlich. *part. 4. concl. 29. num. 48.* Johan. a Sande, *lib. 2. tit. 6. def. Friſic. 2.* add. Mæv. *part. 2. deciſ. 163.* Multo magis id obtinebit in divortio partiali?

XLV.

Facta ergo poſt ſeparationem reconciliatione, conjuges iterum ad cohabitandum ſunt compellendi *arg. c. intell. 6. X. d. ſponſ.* Carpzov. *d. def. 216.* ubi in fin. tale adducit præjudicium. Obwohl das Weib vorbringen laſſen, daß gedachter ihr Ehemann ſie übel gehalten, und eine Zeit zu Dienſten ſich zu begeben verurſachet, dahero die Separation zu Tiſch und Bette zwiſchen ihnen hiebevor erkant worden. Dieweil ſie aber nunmehr mit einander ausge-

ausgeſöhnet, und ſich verglichen: So ſeyn ſie hinführo ſich wiederum zuſammen zu fügen ſchuldig; inmaſſen ſie ſolchem nachzuleben, und zum längſten zwiſchen dato und nechſt kommenden Leipzigiſchen Oſtermarckt, einander wiederum ehelich beyzuwohnen zugeſagt. Pariter ob continuas rixas quando fit ſeparatio, pœnitentia eandem tolli, conſtat ex iis, quæ tradi, Carpzov. *Juriſpr. Conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 217.*

XLVI.

Idem dicendum, quando ob non præſtitam, vel non ſufficientem cautionem pervenire judex ad ſeparationem cohabitationis tenetur. Præſtita namque ex poſt facto & acceptata ſufficienti cautione, aboletur iterum ſeparatio non in perpetuum, uti ſupra dictum, ſed ad tempus facta. *arg. c. literas tuas 13. ibi: Alioquin ſufficienti (ſi fieri poteſt) ſecuritate proviſa videtur conjux ante cognitionem reſtituenda marito.* Tenentur ergo conjuges iterum ſibi invicem cohabitare, atque ad id auctoritate magiſtratus compelluntur, contra ſi faciant, proprio auſu ac temerario lubitu ſeparatim degere cenſentur, adeoque pœnam merentur. Carpzov. *Juriſpr. Conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 220.* ubi in fine addit præjudicium: Dieweil F, die zuerkante bürgliche und eydliche Caution zur Gnüge beſtellet; ſo iſt nunmehr ſein Ehweib, zu Tiſch und Bett, ihme hinwiederum ehelich beyzuwohnen ſchuldig, oder ſie wird in beharrlicher Verweigerung deſſen von der weltlichen Obrigkeit durch gebührliche Mittel darzu billig compelliret und angehalten. V. R. W. De ſimilibus judicium eſt ſimile.

SOLI DEO GLORIA.